duo minus apta sunt. *ἀνθεμουργός* non est adjectivum: hujusmodi enim vocabula, quae ex *ἔργον* cum substantivo componuntur, ipsa sunt substantiva, ut *λιθουργός*, *χαλκουργός*, et similia. In v. 1021. prava interpunctio virum eruditum fefellit: manifesto conjungenda sunt *τόνδε τ' ὀϊστοδέγμονα θησαυρὸν βελέεσσιν.* Nec multo magis ad rem facit exemplum quod ex v. 584. prolatum est, *τᾶς ἀμιάντου*, simpliciter positum pro *mari;* nam
xxxi si ipsum locum consideres, videbis, ni fallor, poetae non licuisse nomen *ἅλὸς* inserere sine magno elegantiae dispendio, quum proxime praeivisset dativus *ἁλί*, ex quo manifesto repetendus est genitivus. Nolim autem de hujusmodi elegantiis, quae merito in dubium vocari possint, nimis subtiliter disputare, Aeschylove artificia in scribendo tribuere, qualia ab istius aevi simplicitate prorsus abhorrere existimo. Quod vix operae pretium fuisset observare, nisi animadvertissem haud paucos veterum poetarum interpretes hac chorda oberrasse, qui solent auctorum verba et sententias nimis curiose premere, et saepissime faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant. Hoc dictum puta, non tam in Hermannum, cujus equidem doctrinam suspicere soleo, quam in quosdam minorum gentium criticos, qui, dum in poetis interpretandis philosophari volunt, haud raro fluctus in simpulo movent, et in luce meridiana caecutiunt.